


The background image shows a marbled paper pattern with intricate, swirling designs in shades of brown, yellow, and green. The patterns resemble water or smoke, with darker brown areas forming the base and lighter yellow and green areas creating the swirling effect.

29



29

DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
INAUGURALIS  
DE  
**METEORIS.**  
QVAM,  
PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

*Ex Authoritate Magnifici Rectoris,*  
**D. ANTONII HULSII**, S. Theol. D.  
Eiusdemque Facultatis ut & Lingue S. in Academia  
Lugd.-Batavâ Professoris, & Collegii Theol. PP.  
**DD. Hollandiæ & Westfrisiæ Ord. Regentis,**

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Almae*  
Facultatis PHILOSOPHICÆ Decretô,  
**PRO GRADU DOCTORATUS,**  
& Liberalium artium Magisterio,  
Summisque in PHILOSOPHIA Honoribus & Prive-  
legiis ritè ac legitimè consequendis,

*Publico examini subjicit*

**ANTONIUS DE SADELER MATTHÆUS, Amst.**

*Ad diem 3 Februarii loco horisque solitus.*



LUGDUNI BATAVORUM,  
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,  
Academiæ Typograph. MDC LXXXIV.

236  
C2

*Affinibus Charissimis*

D. JOHANNI VOET, J.U.D.  
ejusdemque facultatis in illu-  
stri hac Lugdunensium Aca-  
demiâ Professori ordinario.

D. LEONARDO VERSYL,  
apud Amstelodamenses Mer-  
catori solertissimo.

Disputationem hanc inauguralem

*D. D. D.*

ANT. DE SADELER MATTHÆUS,

*Auctor.*



DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
INAUGURALIS

D E

# METEORIS.

## PRO O E M I U M.

**M**irum fortasse nonnullis videbitur, nos ex clarissimis, ac forte majori consideratione dignis, innumerabilibus universae Philosophie objectis, tam amplam, nullisque fermè limitibus inclusam, nec cuiquam controversiarum alia expositam materiam eligere: Verum cum (Proh dolor) jam multis annis nihil aliud ferè, quā plurima omnis generis satis superque exposita, enucleata, disputa-

ta, defensa, refutata, experimentisque ab utraque litigantium parte (ut opinantur) confirmata, controversa audi-  
verit, legeritque tam naturalis, moralis, quam rationalis  
ac prime Philosophia in dagator; præcipitanter injustaque  
ratione me modos leviore plectro quærere, nullus, ut  
autumo; existimaturus est; præterquam quod omnem, in  
hac de Meteoris materiam pertractandam, brevitatem; quan-  
tum fieri poterit; affectare proposuerimus. Ut itaque insti-  
tutum nostrum feliciori haruspicinâ exequamur; aqueorum  
ignitorumque Meteororum naturam (cum ob disputazio-  
num limitis angustias, ac alia de causâ in hisce conside-  
randis mentem fixam tantum tenere voluerimus) in gene-  
re; dein eorundem species enucleare aggrediemur.

## CAPUT PRIMUM.

**P**raeter generalem corporum in sublunaria & supralu-  
naria divisionem, sublunaria subviduntur Philosophis  
in perfectè & imperfectè mista; perfectè mista ea  
nuncupando, quæ arctiori magisque stabili partium  
unione prædita sunt; imperfectè mistorum verò no-  
mine illa venire consentibus, quæ tali partium condensatione,  
intricatione, & unione non constant: Horumque in numerum  
venit argumentum nostrum Meteora; Græcum vocabulum, &  
procul dubio originem suam Græco Μετέωρα sublimis, editus,  
vel cum montibus (quia in sublimi, circa astra, montes, ac alia  
loca excelsiora Meteora ut plurimum conspicuntur) debens; Cùm  
græcum Μετέωρα velint quasi ēs ἀέρες ὅπω in aërem tollo; ac  
vocabulum ὅπω Doricè sumatur velut ὅρος, quod Jonicâ locu-  
tione accipitur pro ὅρος Mons.

Antiquitas autem objectum nostrum Μετέωρα in altum eleva-  
ta vocavit; ac (juxta Plutarchum) tali cum restrictione, ut illa  
tantum Μετέωρα dicerentur, quæ à circulo Lunæ ad situm usque-

terræ pertinent: Aristoteles *πάθη paßiones*, nonnullique ex ejus sectatoribus impressiones, ac denique promiscua multitudo *offerta* Meteora nuncupant. Verum, cùm hisce; de argumenti nostri vocis origine, nominis diversitate &c.; quæstionibus me non diutius immiscere studeam; *Meteora*, à speciali, quâ constant, materiâ, *in aquæ & ignita* dispergitur; ad priorem speciem rorem, pruinam, mel, mannam, nubem, nebulam, nivem, pluviam, grandinem revocamus: Posteriorum verò speciei, fulmen, tonitru, fulgur, ignis fatuus & lambens, draco ac scintilla volans, stella cadens, capra saltans, similiaque constitutioni inserviunt.

§. 1. Ne autem ab instituto nimium divagemur; ac cùm ad generalem Meteororum naturam cognoscendam plurimū faciat accurata eorundem definitio; Cùmque illa commodiori methodo vix elucescat, quâ si argumenti materialem, formalem, efficientemque causam enucleēmus, ad illorum considerationem meritò (ut arbitror) instigamur.

§. 2. Generaliter *materia Meteororum* consideratur dupliciter *remota*, videlicet & *proxima*; in quantum illa ad primam quidem illorum productionem confert, verùm quasi è longinquō, ac plura adhuc requisita debet subire; illiusque vicibus funguntur *terra & aqua*, ac denique quacunque *corpora* in terra-aquo hoc nostro globo constituta: *Hæc* verò; prout illud omne ferè, quod de materiâ remotâ dicitur, respuit, ac proinde proximè effectus sui productioni inservit; *fumo vaporibusque* ejus nomine venientibus.

*Proxima* etiam *materia Meteororum nostræ* animadversionis visariam consideratur ratione effectuum, quos ex ejus condensatione, conglaciacione &c. productos videmus: Cùm enim (juxta commune Philosophorum effatum) quælibet causa quemlibet effectum producere nequeat; vapores (utpote ex vapidiori calida magisque humidâ materiâ conflati) si debitam unionem, cætraque ad Meteororum constitutionem requisita, subeant, aquorum naturam sortiuntur: cùm verò exhalationes (è substantiâ nimirum magis terrestri, siccâ, ac calidiori ortæ (Meteorum naturam induant, ignitorum nomine ea solent designari.

Quoniam autem terram & aquam &c. corpora remotam Me-

teorum materiam esse experientia haud obscuris indicis innuit, ejus probationi non insitamus; præterquam quod cum aer invisibilis sit, cundem visibilis objecti causam esse rationi contrariatur.

Proximam verò Meteororum materiam, eandem rectè nuncupari quam proposui ex miscibilium naturā etiam innotescit; illa enim, cum omnem unionem respuant, nisi ante in minutissimas partes comminuantur, quod fieri nequit, nisi calor partes illas exigit, atque in halitus absolvat, halitus meteororum materiali cause inservire quis non videt! Hujus enim globi terra aquic particulae subtilitatę, ac à reliquā massā secretā nihil aliud quam halitus sunt.

Præterea ex naturā aquae vapores aquae Meteora constituere patet; particulas aquas enim talis naturae experimur, ut vel minimo frigore condensentur, intensiori congelentur, & conglacientur; quod in Meteoris aquae necessarium requisitum suo loco etiam sumus astructi.

Denique ex albedine, quam aquae Meteora tincta cernuntur, non male collegit antiquitas vapores in illorum productione materiae munere fungi, cum albicantem colorem eosdem reflectere constet.

Exhalationes verò terrestres Meteororum quorundam materiam rectè dici, manifestè; meo judicio; confirmatur experimento desumpto à nive, cæterisque meteoris magis unitis, & congelatis, in quantum nivem &c. collectam ac liquefactam non solum particulas merè aquas continere; verùm etiam ipsi magnam terrestrium, siccaramque particularum copiam permixtam esse, cuilibet ejus naturam investiganti patuit.

Quod autem substantia quæpiam oleaginosa, sulphurea, viscosa, & accendibilis pro Meteororum materiali causā meritò habenda sit, non tantum ex fulminum &c. colore vel odore, ast quoque ex plurimum Meteororum ignitorum conflagratione flammeaque emissione constat: Quinimo in genere accedit; quod plurimas aquas, terrestres alteriusque naturae particulas atmosphæræ innixtas esse; thermometrorum, soni, ac etiam lumen tam reflectentis, quam refringentis varietas satis aperte demonstrat.

§. 3. Verum enim verò licet in præcedentibus (facilioris cogitationis gratiâ) me Meteororum nostræ considerationis formam etiam causam enucleaturum promiserim; cùntamen præter substantialem, atque accidentalem formam nulla alia queat investigari; illamque in Meteoris eandem, quām quæ elementi ex quo oritur; hanc impressionem, (ut vocant) quandam esse variorum accidentium, cuilibet à primo tantum limine objecti nostri causam salutanti constet; ulteriorem hujus rei considerationem omitto, ad argumenti causam efficientem transiturus.

§. 4. *Principium effectivum Meteororum*; quorum naturam perscrutamur (ordinis causâ) rectissimè consideratur septuplex (1) ratione halitum rarefactionis; (2) elevationis; (3) condensationis; (4) motū; (5) conflagrationis; (6) figuraionis; ac (7) denique ratione colorationis earundem: Omniaque hæc conditionibus sine quâ non annumeranda ex specialiori Meteorum explicatione apparebit.

*Causa* efficiens rarefactionis halitum primaria dicitur sol secundaria ignis subterraneus vel culinaris, omniaque particulas hujus globi resolvendi ac comminuendi solummodo virtute vel ex se vel ab aliâ quapiam re donata.

Dictorum veritatem maximè suppeditare videntur corpusculorum productiones, & mutationes, quas illis in locis cernimus, quibus hæ propositæ causæ magis verticales sunt, imminent, aut facilitiori modo activitatem queunt communicare; Illâ enim effaciore earundem causarum actione particulæ subtilissimæ è sole igne subterraneo &c. emergentes, ac versus aquam terramque delatae in initio superficie tenus corpus in quod impingunt exagitantando, statim particulas aëreas crassiores, poris ejusmodi implicatas, expellunt; iisdemque sese insinuando ac vehementiori agitatione & impulsu corporum partes atterendo, corpuscula quædam à totâ mole sejungunt. Rarefactionem enim possibiliorem partium separationem, earumque in minorem molem redactionem concomitari ratio & experientia testantur.

Nonnulli autem; cùm ex metallariis compertum habeant, exhalationes à quingentis, & amplius orgyis procedere; solisque calor vix in paucos à terræ superficie pedes pervadat; Cùnque nubes & pluviae adeò rarae per aestatem, per hyemem verò tam frequenter prodeant; igni calorive subterraneo rarefactionis ac

divisionis primariam causam ascribunt: Verum hunc conceptum  
haud amplectendum constabit, exhalationum illarum ex intimis  
terræ visceribus esurgentium multò minorem esse copiam, quam  
quas sol elicit; considerantibus; ac etiam nubes & pluviam hys-  
malit temporis aliâ ratione frequentius conspici, quam adversarii  
videntur innueri.

§. 5. Halituum elevationis causa vel est propriè communiarum parti-  
cularum levitas, in quantum illæ aëris cæteroru[m]que corporum ex-  
pansorum, minimèque cedentium pressionem antè superare va-  
lentes, eorundem pressioni ac agitationi post divisionem resiste-  
re nequeunt; proindeque illis cedere, atque superiora tamdiu;  
quamdiu aërem ipsis ratione ponderis graviorem inveniunt; pe-  
tere coguntur: Vel etiam vaporum exhalationumque ascensum  
plurimum promovent venti, ac præsertim turbinales procellæ è ter-  
ræ gremio esgentes, aut ab eâdem resilientes, obviaque supe-  
riora versus propellentes: Et denique radii solares à terrâ reflexi,  
eandemque quasi reverberantes, materia subtilior circa terra aquum  
globum gyrans; ut illud in pulvisculis vi quâdam ambulationis &c.  
agitatis obtinere videtur; ac ignis calorisve subterranei particularum  
calidarum emisio; pro-ut particulis crassioribus magisque solidis  
corpus elevandum illarum actione liberatur, sive in quantum ab  
inferiori, particularum in minorem molem redactarum, parte ca-  
lor illud ad ascendendum sollicitat: Vim enim aliquam quasi  
attractricem soli cæterisque astris minimè tribuo.

§. 6. Ad accurationem autem Meteororum naturæ cognitio-  
nem non parvi facturum, atque etiam non intemp[er]tive me hoc  
in loco immixtum censeo; aëris totam regionem à terræ su-  
perficie ad Lunam usque in tres regiones aëreas dividi; primam,  
medianam, & supremam: Prima seu infima aëris regio sese exten-  
dit à terrâ nostrâ ad infimas nubes, ob incidentes & reflexos,  
proximeque unitos solis radios maximè calens: Media dicitur  
spatium istud inter infimas & supremas nubes, primâ aëris regio-  
ne frigidior, & in quâ pleraque constituuntur Meteora: Tertiâ  
& suprema à supremis nubibus ad viam Lunæ patet, mediâ aë-  
ris parte magis adhuc frigefacta: Altitudinem verò harum re-  
gionum determinare non audeo, cùm pro anni tempestate, aë-  
risque variâ constitutione variet.

§. 7. Ad condensationem materiæ è terræ cavernis eductæ, &

in a' tum elevatae. (1) Multum conferti halituum gravitas ; quā eorum particulæ superiores deorsum tractæ in alias sibi sublitratas ascendent & se incedendo sibi mutuò occurrent , & complicantur : (2) nubes satu densæ , halitū esurgentes repercutientes , eodemque eādem ratione proximè conjunctis unientes ; (3) calor , efficiens , ut halituum ramuli prominentes flexiles evadant , atque ita ad se invicem commodius queant accedere ; vel etiam in quantum particulæ calidiores irregulari agitatione vaporum accessus continuò inserviunt , lapsuque temporis majorem unionem procēant : (4) aëris medie vel suprema regionis frigus , vapores congelando necessariò condensans : (5) denique *densatio* hæc adjuvatur auta ventū , prout halituum partes , mediae inter actiones ventorum ex oppositâ plagi spirantium , magis concurrunt ; vel etiam à minori montium distantia , in quantum vaporum inter montes arctatorum agitatione & circumvolutione impedita , major eorundem oritur compaetio.

§. 8. Causam motū condensatorum aërique permixtorum corporum primò ex densatorum quærimus gravitate ; gravia enim cùm , à nullā externā causā impedita , activitatē soleant exercere , principiumque translationis includant ; majori vaporum ac exhalationum pondere motum in iisdem produci certum est : secundò plurimum etiam halituum motum adjuvant particulae subtilissimæ , sulphureæ & nitroso vario in motu constitutæ , corporaque quibus implicantur , eodem secum abripentes ; præsertim si angustioribus nubibus , aliisque spatiis inclusæ , vehementius in obvia corpuscula agant : Tertiò ventus , halitus inferiora versus deturbans , sive eosdem diversimodè exagitans : Ultimò omnis generis corpora , aut in terræ superficie , aut in superioribus constituta , halitus solummodo sufficienter impellere valentia.

§. 9. Primarium conflagrationis exhalationum principium effodiendum dicitur calor internus inter corporum elevatorum compactorumque poros sese insinuans , atque in aëre particulæ accendendas validius agitans , & dividens ; partesque quibus inhæret ita corticibus cæterisque conflagrationis impedimentis liberans , ut ad urendivim flammæque emissionem magis ac magis instigentur : Secundaria combustionem efficientes causæ assignantur particula subtilissimus , ignis productioni inservientibus , corporibus solidioribus adhærescentibus , & in superioribus ab iis liberatis , per aëra dispersis :

sis: (2) particula lucidū calidioribus, solis &c. emissione aëri permixtis, facilique negotio corpus inflammabile accendentibus: (3) materia curvis ignis (mediantibus flatibus circa præcipitia hærentibus, vel etiam vaporibus ingruente frigore nocturno conglaciatis, vel alia quapiam causā) ad aeternitatem exercenda n̄ infligate; versus corpus accendibile protrusæ, ac, à non nisi majori mox imine combustili materiâ, secretæ, aliisque mag's ardenti communicatae & implicitæ.

§. 10. Vapores exhalationesque figurationem; eadem de causâ quâ motus in halitibus perfici antè assertimus; præcipue sortiri opinor: Motus enim cùm omnis mutationis sit origo, nullaque ratione figuræ, nisi illo mediante; diversitas in corporibus queat oriri; rationem certè non video; cur (sivebito modo materia quæpiam ab hac vel ab illâ parte apponatur) causæ motûs quoque causam figurationis non ascriberem: Præsertim, cùm tumultuarium ac repentinam halituum concretionem; certamque vaporum nondum unitorum figuram, unione peractâ figurationis varietati inservire minimè negari tentem.

§. 11. Colorum diversitatem in corporibus nostræ considerationis efficiunt, repræsentantque vel varia illa halituum pororum dispositio; ortum dicens aut à materia, quâ halitus constant, diversitate, sive ab eorundem ratione condensationis, motûs, & figuræ variatione; quâ diversa luminis oritur reflexio, refractio, ac ejusdem cum umbrâ permixtio: Vel media seu densiora seu rariora, quæ affluvia, organa visui inservientia attingendo necessum habent pertransire: Cùmque nulla alia præter has colorum repræsentationis sive veræ, sive emphatica causa queat excogitari; ac in speciali Meteororum enucleatione eorum specialem radiorum lucidorum propulsionem simus investigaturi, pleniorem ejus rei disceptationem, atque ita cunctas halituum efficientes causas relinquemus.

§. 12. Hisce itaque, argumenti nostri definitionem quasi referantibus, pro instituto præmissis; Meteororum corpora imperfectè mischia ex halitibus aqueis, sulphureis, terrestribus, bituminofisis, ac ignitis, rarefactis, elevatis, condensatis &c. minusque bene inter se uniuersa constata definiō: Cùm autem in Meteororum formatione, illa, quæ perfecta mixtio requirit i. e. mistilium ratione caloris, frigoris, humiditatis; siccitatis, loci, motûs, quietis, sitûs, figuræ, magnitudinis &c. proportionem, deesse, eorundem naturam investi-

vestiganti satis apertè elucescat; minorque Meteororum elaboratio à causis, subitanea productio & destructio, eadem minus bene inter se sepe unita indicet; ceteraque in definiendo proposita ex parte lentibus appareant, definitionis probationi, alias quidem haud intempestivæ non diutius insistendum arbitror.

§. 13. Quoniam verò omnium in rerum naturâ corporum diversitas vel à materiâ, quâ constant; aut à primo illo distinctivo principio formâ videl. proficiscitur, differentiam meteororum partim *materia pradominantia discrimini*, partim *diverso halituum accessu, appositioni, ac agitationi* (experiendi etiam duce) attribuo; Quibus igitur ut sequatur necessum opinor, Meteora ex vaporibus aqueis composita originem suam ex terrestribus exhalationibus ducentibus frequentiora esse; Cum enim solis, ignis subterranei &c. actione tenues valde, lubricæ, sibiique minus contiguæ particulæ aquæ faciliori negotio, quam partes terrestres, solidiores, ramosioresque comminui ac separari queant; ignita Meteora rarius, aquæ verò frequentius prodeunt: Quemadmodum integri sëpe etiam fluvii solis activitate in vapores resoluti, & exiccati cernuntur.

## C A P U T II.

Quandoquidem instituti nostri rationi præced. parte in generali Meteororum naturâ delineandâ satisfecisse autem; ad eorundem species explicandas ut me accingam, superest; utque in illis certo quodam procedamus ordine, *in quo roris, pruinaque natura (ob maximam horum convenientiam) constituta sit, enucleandum premitto.*

§. 1. Ros itaque constituitur, si jam actione solis &c. è terra-aquo globo educiti vapores, solis à terrâ aversione non magis elaborati, atque ad medium usque aëris regionem nondum delati, circa terræ superficiem moras nectentes propter particularum subtilium, halitus attenuantium, recessum, frigore nocturno ingruentes uniantur, & condensentur; ac ita majorem molem acquirentes terram repetere, aëreque tranquillo undique pressi in insensibilis guttulas sphæricas redigantur; sensibus autem expositi;

dum plantis &c. adhærentes, vel etiam aéri permixti majori in copia confluunt.

Sin vero cædem illæ rorem antea constituentes particulæ, ob terræ frigus, antequam vel simulac eam attigerint, congelantur, oritur pruinæ: Prindeque nonnisi rore præcedente illa cernitur; & quidem sub diluculum, aut tempore nocturno, cum tunc temporis terra; sole infra horisontem secesso; refrigerata, roris particulas commodius queat congelare.

Accidit etiam nonnunquam rorem pruinamque illis in locis componi; ubi antea nullæ nebulæ (non injustâ planè ratione horum Meteororum; secundum quosdam; materiali causæ inservientes) fuere repertæ; dum sc. ventus nebularum materiam aliò transfert; ibidemque roren, & pruinam efficit.

Rubentes quoque nives, seu potius rorem cruentum visitari censeo, si loca quibus appetet, materiâ quapiam rubicundâ, minio, vel etiam sanguine scateant; unde exhalationes inficiuntur; præsertim cum (juxta historicos) majori sanguinis copiâ effusa, rubicundo colore materia hæc tincta conspicatur.

Fruitibus, plantis, pecoriisque graminibus, rore infectis vescenti, interdum etiam solet hoc meteorum nocere; acribus videlicet rodentibusque particulis eidem permixtis; illo enim in casu materia alimentosa plantarum fructuumque productionem promovens, acribus similibusque corpusculis infecta ritè nequit munus exercere; aut materia hæc fermentationem legitimè procedentem impedit; etiam ipsos objecti poros, ac denique pecoris stomachum male disponit.

Diversitatem figuræ pruina sortitur ab aurâ, quâ, aëre tempore roris descensus plerumque agitato, obviae guttulae variè mouentur: similiter, ut illud videtur obtinere in vaporibus ictis conglaciandis vitris adhærentibus, varias mirandasque figurarum diversitates induentibus; ac ex eo quidem dependentes, quod per januarum rimas, vitrorumque poros flatus nonnulli irruant, sive aliorum adveniant. vaporesque in superficie vitri variè circumagant.

§. 2. Delineatâ igitur satis (ut existimo) naturâ roris & pruinæ; secundum in specialiori Meteororum explicatione locum sibi vindicant mel & manna: Producitur igitur mel, si particulis quibusdam rorem constituentibus viscosioribus, ex se omnis faporis ex

per-

peribus, in descendendo in plantulas floresve impingentibus, ac propter viscositatem iisdem adhærentibus, plantarum, vel flosculorum spiritus communicetur; ac solis activitate indurescant, posteaque particulae aquosæ eadem actione prorsus educantur; particularumque indumenta, ac aquearum eductione majori consistentia præditæ ab apibus colligantur, atque in eorum corpore ulterius elaborentur, favis recondantur; ac ita fermentationem de novo subeant: Ut hæc innuere videntur illa Virgilii

*Liquiditia mella*

*Sipant, & dulci distendunt nectare cellas.*

Similis verò quæpiam materia, arborum quarundam ramis &c., adhærens, majori in copiâ confluens, pinguioremque massam acquirens mannae etiam nomine venire solet: Eorum enim opinionem amplectandam non arbitror, mannam exhalationibus solis, & non rore vel vaporibus constare autumantium; cùm ad illud stabiliendum nullam rationem proferant, neque etiam videam quibusnam hoc fundamentis queat inniti, & probari: Quandoquidem è contra apes mel præcipue colligere, mannamque frequentius inveniri; aëre paulò ante particulis rorem constituentibus scatente; apariis, regionumque manna magis abundantium incisis satis notum est.

Requiritur itaque priùò, ut particulae mellis naturam absolventes talibus adhærent floribus ac plantis, quorum spiritus illicis debito modo permisceri & communicari poterit; alioquin enim plantarum vel flosculorum &c. saporem odoremque (cù n illud ab apibus planè non proveniat, ac in quo ipsissima melis natura consistit) non referent; Licet enim ex vapore & halitu concrescat, odorem tamen, pinguedinem ac dulcedinem ex ipsis trahit stirpibus; hinc herbæ venenatae mel quoque reddunt venenatum; flores odoriferi mel præbent suavissimum; aliud Thymum, aliud absinthium redolet; Non enim particulæ roscidas viscosiores ex arboribus floribusque colligere, ac intra coxendices reservare valent apes, quin simul etiam ramenta foliorum decerpant, alveariisque recondant.

Secundò, horum meteororum productioni plurimū inservit solis calor, materiam illam jam florū &c. spiritu affectam indurescens; solet enim in locis altioribus aridioribus magisque calentibus

mel, colligi, ac manna reperiri; præcipueque quidem, ubi jam activitatem sol exercuit, ac aqueam materiam è consistentiâ illâ eductam in v. porum formam redegit: Quibus idcirco meritò elicetur, non tam merè aqueas, quam viscosiores magisque terrestres particulas mellis mannaeque ortum promovere.

Tertiò, ad mel producendum multùm confert quædam elaboratio ac fermentatio, quâ consistentia illa ab apibus collecta subtilior evadit, particulae acutæ hebetantur, ramulique molliores ac flexiliores redduntur, ita ut nervos gustui inservientes placide afficiant, ac quasi deliniant: Et quidem peculiaris illa elaboratio in apum requiritur ventriculis; Cùm; teste experientiâ; mel quod vespa conficiunt, ejusdem saporis & naturæ non sit cum eo quod ex apum favis colligitur.

Ultimò, melleam quandam materiam, pingues, oleosofque habitu mannam includere, perceptu facile censeo ex odore, quem ubi aduritur mellis instar ceræ ad misti spirat; ac ex emissione illâ flammæ, quam præ aliis etiam facili molimine manna concepit.

Manna autem diversitas; secundum nonnullos; ex ejus ætate, loco, & arbore petenda est; optima enim censetur; quæ recons, splendida, & in purissimos grumos concreta melleam p̄ se fert dulcedinem; secundò quæ ex Calabriâ defertur; & deinde quæ in foliis arborum vel etiam in saxo provenit: Horum verò veritatem medicis indagandam relinquemus.

§. 3. Hæc verò, mellis mannaeque naturam spectantia; cùm dicta sufficiant; quid sit nubes, & in quo nebulae natura constituenda sit ad enucleandum nobis accingentibus, primò nubium productio (cùm nebulae etiam ex vaporibus nubem antea componentibus queant oriri) delineanda occurrit: Nubemque idcirco definio, quod sit vapor in median aëris regionem plerumque elevatus, ibidemque suspensus quasi, & detentus, ab aëris, in mediâ ejus regione, frigore condensatus, leviterque conglaciatus, luminis transitum, illud reflectendo & refringendo, impediens.

Verùm sicuti mediantibus vaporibus crassioribus nubes exhibentur, ita quoque ex subtilioribus rectè prodeunt; si enim vaporum è terra gremiò educitorum, ac propter subtilitatem in alium evectorum magnæ congerie, ob continuam solis ventorum &c. actionem, alii ejusdem generis accedant; ita ut talium quam plu-

plurimorum vaporum adventu radiis luminosis transmissio denegetur, nubes etiam prioribus haud dissimiles componi certum est.

Locum, ubi nubes producuntur, aëris medianam regionem diximus: Cùm enim prima regio aërea (uti jam in præcedentibus annotatum) inaxime caleat; ac in nubium ortu requiratur condensatio, levis conglaciatio, vaporumque veluti nexus quidam; quem caloris agitatio impediret; ad aliam aëris partem; ubi hoc negotium commodius perpetratur; vapores elevandi veniunt; Verum, cùm in tertia aëris regione, maximè frigidâ levis etiam non contingat congelatio, at vapores illuc pervenientes totaliter in glaciem convertantur, aëream medianam partem, inter primam & secundam medium quasi, vapores ut petant, ibidemque condensentur quis non videt. Licet autem mediae aëris regioni nubium locum assignaverim, interdum tamen in infimâ eas deprehendi constat; cùm quoque è montis vel humilioris vertice sœpissimè infra conspiciantur: Quæ etiam ratio est, cur in nubibus definientis vocabulum *plerumque* (alias definitionibus non ita congruum) usurpaverim.

In nubium à terrâ distantiam terminandâ Praestantissimi etiam Philosophi discrepant: Nonnulli enim eas vix sesquimilliaris Germanici altitudinem assequi docent, alii illas ultra quadrantem unius milliaris elevari negant; alter altitudini nubium quadraginta stadia assignat; quidam denique earum altitudinem passus 52000 sive 13 millaria Germanica nunquam excedere asserunt: Proindeque distantiam nubium inæqualem colligimus; cùm illud à vaporum easdem constituentium subtilitate, conjunctione aliisque dependeat; Quæ vaporum subtilitas pro variâ caloris actio- ne; ac eorundem conjunctio, condensatio & conglaciatio pro diversâ aëris agitatione, vaporumque in se invicem impulsu variat; diversoque aëris in mediâ ejus regione; frigori sese accommodat.

Cùm verò è nubium quotidiano aspectu fatis divulgetur easdem in superioribus non solum vagari, verum etiam detineri, & suspendi; detentionis suspensisque causam indagando, eam vel aëris, ac vaporum eidem permixtorum ratione ponderis æquilitati ascribo juxta illa quæ capite I. §. 5. proposui, sive quod alii itidem è terra grevio esurgentes halitus ad infimam jam assurrectorum partem vel etiam ad latera tendendo efficiant, ut vapo-

res in nubes convertendi, vel jam conversi gravitare nequeant; seu quod ventus nubium particulas disjunctas, maleque condensatas non tam evehat, quam sublatas retineat.

Merito denique in definitione nostrâ assumptum opinor, vapores lumnis transitum illud reflectendo, & refringendo impedit, certum enim est alioquin purum aërem, non vero nubium materiam prodire: Quæ halitum opacitas ex eo refultare videtur; quod nubes ex plurimis particulis, (quarum cum innumeræ sint superficies, quarumque singulæ propter distantiam aliquid luminis reflectant (uti illud ex vitro in pulverem contuso innotescit) atque poros sibi mutuo respondentes non habeant) conflatae; poris particularum exilium rotundarum transmissioni perviis careant.

Ratione effectuum nubes vulgo distinguuntur in steriles, & fæcundas; steriles nuncupantur, quæ tenues minusque humidæ, ac à ventis solisque calore dispersæ in aquam non concrescunt; Fæcundæ vero dicuntur, quibus nebulæ, nives, pluviae ac grandines originem debent; et si tamen ex nubibus sæpè etiam nebulæ non proveniant; cædem enim quæ nubes ratione dupliquo quoque modo formantur. Vapores enim, si solis actione, cæterisque rarefactionem efficientibus corpusculis attenuati, ac superiora quodammodo petentes, ob solis recessum, vel etiam activitatem magis impediat ulterius ascendere nequeant; proindeque ventis aut terræ frigore non nihil condensentur, aëris pelluciditatem aliquæ ex parte tollendo nebulam constituunt.

Vel quoque producitur nebulæ, cum partes nubis in minimas guttas resolutæ, ac corporum quorundam crassiorum accessu majorem gravitatem acquisitæ, terram repetendo, ad eandem protenduntur, sive etiam decidunt; Quo in casu nubes ac nebulæ solummodo ratione loci differunt.

Tempus, quo nebulæ potissimum prodeunt, matutinum seu vespertinum est; quia circa initium finemque diei caloris vis debilitata, vapores ascendentæ minus efficaciter valet elevare; & quidem manè quam vesperi frequentius; cum majori vaporum, terræ calore jam elevatorum, copiâ tempore nocturno aër plerumque repletus sit.

Serenitatem, ubi manè recidunt, nebulæ portendunt; quoniam, sole tenuem illum vaporem attollere non valente; eundem

dem multò minus aquam è mari, fluminibus &c. evehere posse  
co*it*it: Sin verò superiora versus deferatur hoc meteorum plu-  
viam promittit; cùm terræ calore novi hoc in casu continuo ha-  
bitus suppeditentur, nubilosam ac postmodum pluviatilem natu-  
ram induentes.

Fætet autem morbosque contagiosos procreat nebula, dum  
vel ex aquâ putrescente exspirat; aut exhalationes ex venenatis  
sinilibusque terræ cavernis erumpentes, corporibus nebulam  
constituentibus permiscentur.

Ultinò ad productiōnem horum meteororum multūm conser-  
unt venti, præc pūqne occidentales; ac ex oppositis plagiis spi-  
rantes &c. quibus omnibus, vaporum cuiusvél obnitendo, i-  
dem condensantur; vel sibi invicēni occurrendo colligantur, si-  
ve, major vaporum congeries in nubem jam formatam impulsa,  
illis accumulatur. Destrictioni vél nubium nebulæque aut inser-  
vit solis calor nubes in pluviam resolvens, vél etiam ventus nubi-  
losam materiam disrumpens, singularumque vaporum partium  
(ante nebulæ formæ assumptionem) conjunctiōne, eādem tenuis  
initia pluviae recidente; Denique evanescunt nebulæ, si solis  
activitate minus impedita, superiora vapores petant.

§. 4. Ut verò nubium fæcundarum effectū perscrutemur, ordinis causā nivis naturam delineandam præmittimus: Oritur igitur  
nix, si rara nubes, antequam in pluviam resolvitur vehementiori  
frigore conglaciata deorsumque pulsā ab aëre resistente franga-  
tur.

Raram esse nubem, que materiae munere in nivium produc-  
tionē fungitur, arguit raritas illa quam nivis particulae conti-  
nent; cùm illa ex aëris in nubibus permixtione proveniat; ac  
in descensu particulae niveæ propter extremitates undique con-  
glaciatas aërem nequeant intercipere.

Priusquam autem pluviae formam assūmit, nubes hæc conglacianda venit; semel enim in pluviam resoluta ac recasa (quoniam  
terram reperendo guttulae pluviales continuo aëri magis ac magis  
incalcenti immiscentur) in niveim conglaciari nunquam poterit  
nubes; vehementiorem enim congelationem in eādem produc-  
dā requiri arctior partium nivis coadunatio, ejusque nonnisi  
tempore hyberno productio, ac alia manifestissime testantur.

Albicantem colorem nivem ferre censeo, aut quod ejus parti-

culæ asperiores videl. rigidioresque; ac ejus superficies plurimis inæqualibus superficieculis prædita, lumen satis parum reverberent; vel etiam, quod nivis pori ob materia soliditatem &c.; eadem conservata; sibi mutuo satis accuratè non respondentibus lucis radios transmittere nequeant; simili fermè ratione, quæ illud in ramentis glaciei, liquoribus majori in motu constitutis spumâ sc. ac in plerisque corporibus contusis solet obtinere: Si vero fides sit habenda; in Armeniae quibusdam locis etiam nivem rubicundam decidere; tradentibus; à particulis naturâ suâ rubris, rubræ. nemque difficillimè deponentibus, vaporibus in nivem formatis permixtis illud accidere judico.

Inter descendendum particulæ nivales ab aëre resistente fractæ pilosam, stellularum, rosarum, liliorumque instar figuram adipiscuntur: Quæ phænomena tali ratione nonnulli explicare conantur; Dum enim ( inquiunt ) nivis partes rotundâ figurâ prædictæ particulis magis extensis easdemque contingentibus undique quasi vestiuntur pilosa figura conspicitur: Huius autem si aliæ rufus magis tenues ad latera adjungantur, liliaceam: Cum nivis radii liliis ornati caloris vi flexi, iterum congelantur rosean; Et denique si globosæ eidem figuræ aliæ sex denticulorum instar adjungantur, sexangularem stellisque similem nivis partes figuram induunt: In quæ omnia quamvis certò jurare non licet, haud male tamen nivis ratione figuræ diversitatem variis ventorum actionibus, floccorumque in se invicem ac alia corpora diverso impulsu sese accommodare innuere, atque demonstrare videntur.

Quantum autem ad nivis effectus: ( 1 ) dicitur fertilitatem terræ inducere; si niñirum vel succun uberiorem instillandi vim habeat; aut maximè plantarum, terra &c. halitus continet: ( 2 ) quia multas aëreas particulæ includit, aquis debet innatares: ( 3 ) oculos fatigat, ac perstringit; quia albicat: ( 4 ) soni activitatem impedit; cum in nivis flocculos impingens dissipetur, nec per eorum intervalla debito modo queat permeare: ( 5 ) nullâ pluvia nix solvit; proindeque in montium quorundam; etiam in zonâ torridâ constitutorum; verticibus nives reperiuntur perpetuæ; quoniam in locis sublimioribus quâ pluvia proveniunt ( 6 ) denique aëri inhærens frigus remittit hoc meteorum; dum ( secundum plerosque ) aërem coarctando calorem è terrâ eserre

Etiam repercutit; tepidiorem etiam aërem efficiens, cum delapsa solis, activitas minus impeditur.

§ 5. Ne verò, hæc omnia latius enucleando, disputationis limites excedam, ad alios nubium effectus transiens; pluviam componi existimo, cum vapor tantâ in copiâ coagimentatur, & condensatur; ut, dum aëri innatate nequit, terram aquâne debeat repetere. Vaporum major oritur congeries ac condensatio, si plurimi ejus generis è terra a quo globo educti nubibus jam formatis adjunguntur; aut in se invicem impellendo, majori in copiâ confluent: Cùm autem vaporum conjunctionis ac confluxus causam §.7. cap. 1. pertractaverim; eorundem redditus principiu[m] effectivum considerans; illud aut majori moli, quam sub minori superficie vapo[re] comprehendunt; vel particularum in inferiori aëris parte recessui, incursuique, quem superior nubis pars aliquâ de causa s[ecundu]m patitur, ascribendum arbitror.

Gutt itim vapo[re] terram repetunt; partim quod nubes tota simul non convertatur; partim quod deorsum tendendo ejus partes ab aëre resistente fissæ guttularum formam debeant assūmere; & ut plurimum quide[m] rotundâ figurâ apparentium; vel quia inter descendendum circa axem rotitando, corpus ambiens earundem particulas extantes abradit: Vel etiam, quod motus materiae æthereæ, vaporibus interceptæ foris in aëre existenti contrarietur; eadem ferè ratione, quâ aqua in motu impedita in circulos figuratur.

Ratione magnitudinis impetusque, quibus guttulae pluviales præditæ cernuntur, in quatuor species pluvia vulgo distinguuntur; ejus guttae enim mediocris magnitudinis existentes, communi nomine dicuntur pluvia: Si guttulae minores instar pulveris decidant pluvia tenuis nostratisbus stof-reegen solent nuncupari: Dum verò majoribus densisque guttis conspicitur, vocatur imber; sin denique partibus majoribus densisque quidem, verùm admodum raris, ac cum impetu decidentibus cadat; appellatur nimbus: Quæ differentiae inæquali frigoris activitati, spatiis quæ pluvia transit; ac etiam diversæ aëris in inferioribus agitationi attribuendæ sunt: Majores enim stillæ pluviales evadunt, si majori frigore condensantur, vel etiam superiori aëre pressa terram repetendo aliis adjungantur; Quâ ratione guttulae aestivo tempore majores, hiberno verò minores observantur; cum decidendo aliis vaporibus,

continuâ solis actione è terrâ eductis occurrentes; iſſe in acci-  
mulentur: Minores vero has guttulas existimò, si ex alto ca-  
dentes in via dividantur; Majores, rariores, & cum impetu de-  
cidunt; cum ex loco propinquiori provenientes divisionem pla-  
ne respunt; ventisque interim ac materiâ quam includunt, varie  
agitantur.

Quæ verò de lactis, tritici, lana, pisciculorum, ranarum cœ-  
terorumque animalculorum in superioribus productione, pluvia-  
que vulgo narrantur, fragmentis potius annuleramus; vel si cre-  
dere fas sit, turbine hæc corpora aliunde delata censeo: Licet  
nonnulli ex semine piscium, aliorumque animalium in aërem ele-  
vatorum generationem pluviae prodigiosa explicare conentur:  
Lapidum autem similiusque corporum duriorum in subiimis  
productionem possibiliorē opinor; dum vescosiores terrestriores  
que halitus una cum vaporibus elevati, iſſe inque permixti sibi  
in vicem adjunguntur, ac postmodum caloris actione particulis  
humidioribus priventur: Similiter quoque in regionibus Africæ  
quibusdam pluviam venenatam cadere scriptores tradunt; eā-  
dem fermè ratione, quâ illud in mellis naturâ explicandâ §. 2.  
hujus capitî fuit observatum.

Puro etiam, nullisque nubibus nebulisque obducto aere plu-  
viam decidere compertum est; quod sc. aere majori halitum a-  
quorum, verum antea dissipatorum copiâ scatente, vapores  
noiti pluviae formam illicè assumendo antequam umbram effec-  
re, decidunt.

Circa solis exortum nubibus rubicundo flavoque calore tinctis  
aeri inhærentibus, pluvia ut plurimum sequitur; cùm hoc in casu  
vapores humiliores solis actione de die attollantur, tandemque in  
pluviam resolvantur: Crastinam verò serenitatem rubens vapo-  
rum congeries vespertina promittit, nocturno enim frigore reci-  
dens, pluviae naturam nequit induere: Cætera autem, quæ ex  
Solis, Lunæ, &c. apparationis ratione, diversitate, hirundinum,  
gallorum, ranarum aliorumque animantium variis actionibus cir-  
ca pluviae productionem solent prædicti; Cùm (teste experien-  
tiâ) sèpissimè fallant; eorumque causæ meræ conjecturæ sint;  
ulterius considerare non fert animus.

§. 6. Ut itaque meteororum aqueorum explicationi finem im-  
ponam, supererit ut paucis grandinis naturam inueamur: Quid tur  
ig-

tur, si imbris, nimborumque vel etiam quandoque simplicis pluviae partes inter descendendūn conglaciantur; cùm vero guttulae pluviales tenuiores hanc mutationem subiungant, granularum vel granedularum nomine designantur. Pluviae guttas grandinem producere ex ejus figurā illis plerumque simili, ac etiam ex earundem grandini deorsum flectenti, quandoque commixtione satis elucescit.

Pro diversitate temporis quo producitur, guttarum pluvialium congelationis ac idcirco grandinis causa variat, & state enim si componatur grando, superioris aëris plagæ frigori potissimum conglaciationem debet; sin vero vere, autumno, ac etiam hyeme prodeat, potius ob flatus frigidiores, circa terræ superficiem spirantes (experienciâ duce) nimborum guttas in glaciem concrescere opinamur; ac proinde evidenter innotescit; quare frequentius & state, hyeme vero rarerter grando decidit; cùm tempore hyemali totius aëris frigus plerumque æquale; & stilo autem versus superiora transmissum sit.

Licet vero ut plurimum figurā rotundâ conspicatur objectum nostrum; maximè tamen ratione magnitudinis & figuræ variat; ita ut incredibilem magnitudinem sèpè grandines excedant; vel quoque (uti ante sex aut septem annos in quâdam Hollandiæ australis parte contigit) diversorum fabrorum lignariorum instrumentorum formam assumant; mirabilioresque figuras (secundum historicos) induant: Quæ omnia varia grandinis partium attritioni, aliarumque particularum appositioni, ac majori diversæque ventorum actioni ascribo; præsertim cùm aër illis temporibus procellis maximè agitatus fuerit.

Cicis denique calore guttulae in grandinem concretae, quâm nivis partes solvuntur; quod sc. Illarum particulæ utpote densiores, simulac calorem concepere, eundem proximioribus communicant; quemadmodum illud etiam in cådem plumbi & butyri quantitate expertum reperio.

§. 7. In præcedentibus iis, quæ ad specialem Meteororum aquorum naturam pertinebant, expositis, dictisque ratione & experienciâ satis confirmatis; de meteoris ignitu ut agamus reliquum est: Cùmque etiam varia eorundem species occurrant, omniaque simul nequeant enucleari; Fulminis, tonitru, fulgurisque ortam explicare aggredior.

Componitur itaque fulmen, si plurimæ nitrosæ, sulphureæque &c. exhalationes è terræ cavernis educatæ, simulque cum particulis magis terrestribus in altum elevataæ, nubibus (ventorum ex oppositis plagiis spirantium actione; vel etiam cum plurimis halitibus aquæis, postea in nubes concretis permixtæ manent, aut nubibus superioribus in inferiores delabentibus, earumque extremitatibus concurrentibus; ac denique his oleaginosis ignisque exhalationibus concurrentibus in motus sui continuatione versus superiora impeditis, recidendo ascendentis vapores offendentibus, ideoque iisdem inclusis) intercipiantur; posteaque variâ sui vehementique agitatione, ex nubium in se invicem impulsu, aliundeque ortâ, incendantur; atque ex illâ, quæ earundem activitate minus valet resistere, nubium parte, sive per hiatus conjunctim egrediendo, Hammam emitant.

Cum verò, nubibus in se mutuò impetuose collisis, particulatumque ignitarum actione distractis; aër ambiens validè impulsus sonum edat, dicitur tonitru. Quemadmodum in lauri, ac hederæ foliis, castaneisque non incisis, similibusque priusquam incenduntur, videtur obtinere.

Fulgoris autem natura producitur, cùm particulae subtilissimæ riores, minusque nitrosæ minori cum impeta, proindeque sine fragore è nubibus eructantes, repetitis vicibus coruscationem ignis efficiunt: Utique quoque pulvirculi tormentarii hinc inde dispersi absque ullo sonitu flammam emittunt: Ex quibus idecirco meritò elicitur, fulgetris, tales, quos fulmen & tonitru solent effectus producere, prodire non posse; ideoque fulgur innoxium, ac rarissime ad terram usque pertingere.

Ratione effectuum rectissimè Seneca in tres species distinxit fulmen; (1) in illud quod terebrat; (2) discutit; (3) urit: Terebrans dicitur fulmen, quod, ex tenuiori magisque purâ materiâ conflatum, angustissimos corporum poros non lædit; atque ita numeros illas sacciperio, gladium integrâ vaginâ liquefacit; cuius rei ratio ex eo querenda est; vel quod corpora riora tam citò penetret fulmen, ut eadem lædere non valeat; seu quod in solidiora, ejus activitatî validius resistentia fortius agat: Discutit verò frangitque fulmen; cum ejus flamma magis conglobata, pluresque nitrosos, pinguioresque halitus majori virtute pollentes includens, vehementiori efficaciâ agendo obvia etiam duriora

dejicit, rumpitve; ac eo quidem frequentius, si corporibus in altitudinem exorrectis occurrente fulminis activitas minus fuerit debilitata: Urens nuncupatur hoc meteorum, dum materia terrestri magisque combustioni inserviente praeditum, corpora quæ tetigit diversimodè accedit & comburit: Fermentationem in non-nullis solet sistere; cum particulæ ejus sulphureæ &c. corporum partes connectendo subtilium insinuationem arcent: Simili ratione, quâ extincto spirituum motu, hominumque idcirco sanguine coagulato, fulmine percussi, et si in eodem statu permanere videantur vitâ destituuntur.

Sola fulminis non verò quæ ex tormentis bellicis erumpit, flamma tanto cum impetu in terram usque dejicitur; cum exhalationes sulphureæ ac bituminosæ tenaciores minusque dissipabiles existant: Irregularis autem plerumque fulminis ac etiam fulguris motus est, variatque, prout aër vaporibus, exhalationibusque obfessus eorundem è nubibus eructatorum motus determinationem magis minusve impedit, ac deflectit.

Uti autem fulminis activitas diversa est, ita quoque tonitrua sono distinguntur; stridentem enim emitunt, cum tardior magis, quam subitanea nubium aërisque oritur fissio; Sin exhalationes subtilissimæ nœ è nube diffracta erumpant, acris oritur tonitru, mortibusque magisteribile; dum verò exhalationum crassorum è nubibus compactis egredientium auditio agitatio, murmur excitatur gravius, mugitusque similius.

Feryidis aestivisque diebus ut plurimum fulmina, tonitruaque solent prodire; cum pinguiores terrestrioresque halitus non nisi vehementi calore queant elevari; sicut ex distillationibus chymicis manifestissime demonstratur: Cœlo etiam sereno quandoque fulminat, tonatque; si subtilissimæ sulphureæ, bituminosæque exhalationes in aëre detentæ accendantur; sonum excitando dum accessæ aëris ramulos inflectunt; diversorum enim corpusculorum mistura, etiam sine varia externorum agitatione igni producendo sufficit.

Licet verò productionem fulminis ac tonitru eodem fere momento perfici verosimile sit, prius tamen illius effectus, hujus autem posterius exhibentur; quod visus simplicem globulorum æthereorum sine actione intermediâ propulsionem; auditus verò successivas reiteratasque reflexiones, aërisque tremulum

motum requirat: Ita in bombardarum explosionibus tardius lumen visui, quam auditus auri communicatur.

Fulminis, fulguris, tonitruque excitatio continuatur, s<sup>e</sup>piusque reiteratur; cum plurimæ, particulas fulminantes includentes, aëri permixtæ nubes simul non decidunt, iisdemque agitantur; verum alternis quasi vicibus hæc meteora componunt; vel etiam, quod nubium partes diffractæ, tabulatorumque instar constitutæ, versus viciniores propulsæ de novo exhalationes ignitas intercipiant: Tonitru quandoque fragores toties repetuantur, si particulae fulmina constituentes longe latèque per nubes trajecta, aërem majori vaporum congerie repletum, inveniant; uti hoc in pulvere pyro e sclopetis emisso; aëre magis vaporibus obsesso, quoque locum habet: Quā ratione patet, cur absque fulminum, fulgetrique vibratione magnus interdum in superioribus scens excitatur; quamvis illud etiam dependere minimè negem, quod nubes validius in se invicem impulsæ s<sup>e</sup>pe halitus accendibiles non includant.

Si denique plurimæ pingues viscosioresque sulphureæ ac nitrofæ particulae subtilioribus innescantur, ac postmodum ignis activitate prorsus exiccantur, lapis fulminaris, quique etiam terulum fulminis appellatur, oritur: Quemadmodum ex quarundam terræ, nitri, & sulphuris partium mixtura momento temporis lapidem etiam durissimum concrescere experientia didicit; quæ verò tam prolixè de hoc lapide tradunt, in medio relinquam; cum tales narrationes ut plurimum fabulosas judicem.

§. 8. Præter meteora ignita magis misla (quorum ordini illa, de quibus jam egimus, ascribuntur) simpliciora etiam quandoque prodeunt; quæ itaque cùm breviter explicare lubeat; ordinu*causâ*; ignis fatui explicationem promitto: Oritur idcirco, si fumis pinguioribus ac viscosis vehementi calore eductis, ac frigore nocturno ingruente, vel ventis saevientibus coactis particulae subtilissimæ ignis productioni inservientes eorum poros ingressæ per misceantur, harumque vel sui agitatione, ac etiam calore quodam externo flammam concipientibus; fatuque hominis instar subsultantibus, quia aëris fluctuantis motui obtemperant; materiam flauosam includunt; sive quod vaporibus nocturnis descendantibus depressi levitate vires resumant: Hinc fit, ut fugientem insequantur, in sequentesque fugiant; cum locum à corporibus motis dereli-

relictum; aëris fluxui obsequendo, occupent; Et quidem insectantes in flumina, quando tenuis auræ secundo flumine spirantis motu abripitur, interdum etiam in præcipitia dedit hic ignis; quia aërem plerumque per modum vorticis ibidem voluntari constat.

Circa cloacas, cæmiteria, paludes, navium rudentes, & malos crebriores visuntur, ac discurrunt ignes satui, quia illis in locis major particularum pinguium reperitur congeries: Eademque quâ fulmina, fulgetra &c. ratione, tempore locisque calidioribus frequentius apparent.

Denique ignis hic ratione multitudinis ac prædictionis diversimodè solet indigitari; si enim unus fuerit *Helena*; si vero geminus conspicitur *Castor* & *Pollux* vulgo nuncupatur; Nec absque ratione infaustum navigationis eventum significans; cum partes pinguiores, oleosæque picis nonnisi ventis furentibus, rudentibusque variè agitatis hujus meteori naturam induere queant: Frivolum autem, nullaque refutatione indigere censeo; cum *Helena* apparitione malum; *Castore* vero & *Polluce* prodeuntibus felicem navigandi successum prænuntiat imperitum nautarum vulgus.

§. 9. Sin ex equorum jubis hominumque capillito una cum sudore pingues exhalationes egressæ; ac ab aëre ambiente condensatae, ejus repercussione loca derelicta repertant; ac ita particulae igneæ quas intercepere corticibus liberentur *ignis exhibetur lambens*; ita dictus, quod; ob maximam materiæ raritatem, minoremque ejus agitationem ac validitatem quasi lambere, non vero urere etiam corpora maximè combustilia valeat; quamvis etiam ex equorum jubis erumpens sine noxa quâdam (propter maiorem particularum ejus naturam promoventium confluxum, subtilissimæque materiæ admissionem) interdum non conspicatur.

Scimillæ huic igni similes *ex felium cæterorumque animalium corporibus excutiuntur*, si crinibus aliisque eorum corporis partibus adverso pilo (ut vocant) effrictis spiritus lucidores emitant.

§. 10. *Draconis volantis species compositas cernimus*; cum exhalationes itidem pingues & viscosæ in medio crassiores, in extremitatibus vero subtiliores (quod aëri innatantes ab eodem pressæ & attritæ sint) celerrimè motæ veluti volare Draconis instar videntur;

tur; hisce crassioribus particulis ventrem, subtilioribus caput ac caudam repræsentantibus.

Dum autem halitus magis igniti ex alio ut plurimum ignito quodam meteoro expulsi, vehementiori agitatione quasi scintillant, *scintillarum volantium nomine donantur*; similiter uti in evolantibus è magnâ quâdam fornace aut camino obtinere videtur.

§. 11. Cæterum, cum materia quæpiam viscosa ac compacta plurimas particulas subtilissimas ignitas & sulphureas includens, earundem ope versus superiora delata ac detenta, propter viscositatem aliis etiam fumis mediocriter unitis adhærescat; æqualique aëris ab omni parte compressione figuram rotundam induens, vehementique ejus motu concussa & attrita inflammatur; ita ut radios undeque secundum longitudinem emittere videatur; *meteorum stellæ simillimum prodit*; quod, si aëris agitationi obtemperet, discurrens; dum verò (particulis ignitis consumptis) gravitare cogitur; cadens stella solet appellari: Harum enim stellarum (de quibus tam mira tradidere & finxere veteres) talem esse constitutionem ex earundem reliquiis, viscosis videlicet & lubricis; experti undique testantur.

Cùm demum exhalationes incensæ globum quasi igneum repræsentantes, mediantibus halitibus tenuibus flocculos circum se instar lanæ præferant; ac itidem aëris motu ab unâ parte in aliam discurrent saltantve; *capra vocatur saltans*: Cujus simile quid in pulvere tormentario certo modo disposito licet observare.

Si verò alia in sublimibus ignita meteora exhibeantur; illorum naturam ad materiæ, motûs, & figuræ &c. diversitatem attendentि facili negotio innotescere arbitror; proindeque hæc dicta sufficiant.

# COROLLARIA.

I.

*Verum Philosophandi principium non est ipsa dubitatio.*

I L.

*Essentia spirituum consistit in rationalitate.*

III.

*Attributa Dei à Deo realiter non debent distingui.*

I V.

*Ex infinitate perfectionis divinae plurima Dei attributa sequuntur.*

V.

*Iudicium pertinet ad intellectum.*

V I.

*Principia essendi Metaphysico seponenda sunt.*

V II.

*Corpora non consideranda sunt prout oriri potuere, sed quā ratione sese habent cum existunt.*

V III.

*Ad lumen vel lucem constituendam requiritur motus.*

D 2

IX. Cæs

X.

Cælum est congeries particularum subtilissimarum variâ figurâ præditarum.

X.

Macula solaris nihil aliud plerumq[ue] est, quam portio quedam invisibilis redditâ à particulis terrestribus circa solis superficiem harentibus.

X I.

Omnis virtus in medio non consistit.

X II.

Generaliter quisnam status imperii præstet, determinari nequit.

F I N I S.



HONORI SEMPITERNO

Ornatissimi Viri - Juvenis,

D. ANTONII de SADELER MATTHÆI,

Cum, post studiorum suorum curriculum ad optatam  
perducunt metam, omnium applausu

PHILOSOPHIÆ DOCTOR

crearetur.

**N**eptuni vix dum Phœbus reliquerat arva,  
Cum Juvenum clamor subitus clangorque tubarum  
Horridus exoritur, quales præruptus aquæ mons  
Edit, cum scopulos, rigidas cum disjicit arcæ.  
Hæc ergo percipiens homines non passibus æquis  
Currentes sequor, huc illuc mea lumina torquens  
Curriculum vidi, mirans (mirabile dictu !)  
Conspexi Juvenem, qui, postquam tempora cinxit  
Fulgenti galea, dextra, velamina ponens  
Arripuit clypeum clamans : quem queritis, adsum.  
Hinc alios cerno, quos in certamina cursus  
Descendisse juvat dubios, cui fata faverent.  
Mox operi accingunt sese, metamque relinquunt,  
Fit sonitus strepitusque, pedes vix compita lambunt :  
**H**os tamen extemplo superans, longeque relinquens  
Ad stadium per venit oyans, victor quater armis  
Emittens sonitum, sonitum quater arma dedere.  
Constitit ut paulum, egreditur celeri pede cursum,  
Ut petat Aönios montes, in vertice summo  
Sedit ubi Paean, solito quem more Sorores  
Cingebant, huic opposita te sede locato,

D 3

Dixe-

Dixerat una : statim Musæ Phœbique Sacerdos  
Exsurgens ait : heroum fortissime Victor,  
Te de cet ornatus talis , qui tela reflectis  
Egregie clypeo, verique repagula rumpis.  
Ut mea concludam paucis tibi prospera vota :  
Te, voco Victorem , Doctorem te credo Victor  
Victoris tua jura sient , Doctor, tibi jura  
Doct oris dono, successu haud dicta carebunt.  
Si ait : extemplo gaudens Parnassia turba  
Adstitit , illa manu palmas , hæc Musæ coronam  
Gestat : mox Clio clamat : tua tempora cingam  
Lauro , Melpemone tibi , Victor aromata spargens  
Concutiet virides vulsas ex arbore frondes.  
Dixit: at his grates peragit cumulatus honorum  
Egregiis titulis, alio comitatus Achille ,  
Patroclo repetit sacros celebresque Penates ,  
Stabat ubi fœcunda Ceres , nec non datur omnis  
Lætitiae Bacchus redimitus tempora lauro.

Cecinit in perpetua amicitia symbolum

C. VAN HOUTEN , Ph. Stud.

Ἐ φίλοσοφεῖν καὶ δὲν ἔδιον.

IN HONOREM  
Ornatissimi, Doctissimique Viri-Iuvenis  
D. ANTONII de SADELER MATTHÆI,  
Cum in illustri hac Academia Lugd.- Batavâ  
PHILOSOPHIÆ DOCTOR  
renuntiaretur.

Sunt quos delectant funesta pericula belli,  
Sunt quos divitias accumulare juvat.  
Expetit hæc alias. Paucis Sapientia cordi est,  
Nec sapiunt hujus mella reposta satis.  
Haud ita te torques magnas acquirere gazas,  
Nec clades Martis noscere cura fuit.  
At Tu præclaris contendis Palladis armis,  
Et te Piërides ad sua castra vocant.  
Te juvat his studiis totas incumbere noctes,  
Et colere ingenuis artibus ingenium.  
Sic tua præ dulces ceperunt pectora palmæ.  
Sudor & ingenium candida dona ferunt.  
Inquiris causas, & quæ primordia rerum,  
Quid Meteora habeant. Singula nosse cupissimus  
Ordine disponis confusa, & falsa refellis,  
Omnia stant animo, nec ratione carent.  
O quam pergratum lumen nunc conspicis artis,  
Per quam naturæ plurima clara patent!  
O prudens Juvenis, Sophiæ compulsus amore!  
O decus ingenii! quis tibi digna canet?  
Ardua concendis, SADELER! sed fama paratur  
Ingens, & nullâ laude carere potes.

Hæc

Hæc dum pervolvis, veræ virtutis honorem  
Affæctas, merces non tibi parva datur.  
Nunc veluti cursor metam contingere gaudet,  
Et rapido cursu præmia magna capit.  
Sic superas omnes, sic munera ferre petita  
Gestis, & exoptas laudis honore frui.  
Nunc veluti Phœbe fulgentibus emicat astris,  
Ante alios positus, lumine major adest.  
Euge gradum propera, cuncto spectante Lycæo,  
Doctorum cœlus te decorare valet.  
Præsens animo, perterrita pectora mitte,  
Naturæ mystis annumerandus eris.  
Jam Sophiæ Doctor factus plaudente Senatu,  
Ecce triumphantem Palladis arte virum.  
Ecce viro impositam de lauro & fronde coronam,  
Ecce magistrali fulget honore coma.  
O Doctrinarum Cultor, tua gloria fati  
Nescia! perpetuæ nomina laudis habes.  
Ne longi simus, sed nostræ imponere Musæ  
Poslimus finem. Luceat alma dies.  
Præduro veniat nunc mollior aura labori,  
Æternusque velit semper adesse Deus.  
Sublime ingenium, mentis concedat acumen,  
Ut valeas partes vincere jure tuas.  
Fulciat ille suo dextro tua cæpta favore,  
Et det perpetuo gaudia summa tibi.

*Animitus tibi cecinit*

N. van WINGHEN,

*Phil. & Lit. Stud.*

